

1978

L

1823

17. 12.

U. a. 11

Libb. med. 4. 70

~~24.~~ 16. V.

an. 4

DISPUTATIO VI.
DE PARTIBVS
HOMINIS INSTRUMENTIS DI-
CTIS, EIVSQUE FACULTATIBVS QVAE

in Illustri Academia Iulia in-
stituetur Non: Sept.

Praside

IOANNE VVERNERO
Medicina D.

Respondente

GABINIO SYLVIO Frisio Oc-
cidental.



HELMAESTADII

Excudebat Iacobus Lucius: Anno

M. D. XC.

AK



AMPLISSIMO, SAPIEN-
TIAE AC VIRTUTIS SPLENDO-

re præstantissimo viro LEONHARDO ELVERO, am-
plissimæ Reipub. Lunaburgensis consuli
dignissimo, D. ac Meccœnati suo,

S. P. D.

Vartes omnes aliæ, prudentissime am-
plissimeq; Domine consul, fautor eter-
num colende: Sic medica quoq; opini-
onum & questionum laborat varie-
tate, ita quidem ut si ab uno Hippo-
crate, unoq; Galeno discedas, vix aliquid certis
ac necessarijs demonstrationibus suffultum reperi-
as, imò contraria sæpe contrarijs addita legas &
relegas. Vt n. Hippocrates primus Medicinam in
artis formam redegit: Sic Galenus eandem multis
post annis complendo, illustrando, ac enarrando
ad summum ferè fastigium deduxit. Qua de caus-
sa meritò unus ille instar authorum mille, hic ve-
rò innumerorum explanatorum loco æstimari,
suscipi ac suspici debebat. Verum accidit his, ut so-
let, ut vel aliorum ruditās vel invidia, non tam
tantis authoribus ac eorundem lectoribus nocuerit
ac noceat. Hinc varia variorum crevere sententiæ
artem

artem ipsam se ipsa multo prolixiorē reddentes, ac
vel incautio vel ambigue magis (ut mortaliū ne
mo omni prorsus careat vitio) dicta contradictioni
manifesta inuoluentes, vel otiosa ut plurimum in-
gerentes. Quamuis minimē negemus ab eorundē
successoribus quaedam laude dignissima inuenta es-
se ac exculta. Quae cum ita sint, artis Medicae ve-
ritatem vel maxime ex authorum collationibus,
quales optimē disputationum instituuntur palastris,
elucere posse putarim. Quae ratione alijsq; plurimis
inductus hoc etiam tempore collegio Medico Ioan-
nis V Vernerii Medicinae D. opera ac praesidio in-
stituto me addixi, ordinisq; successione ad Thema-
ta haec respondere constitui. Quae Thematata A. ac P.
T. consecrare merito animum induxi, cum quod
te studiorum meorum fautorem, ac Mecœnatem
singularem intelligam, tum ut qualicunq; hac ani-
mi grati significatione me tibi probare valeam.
Quae A. T. aequi boniq; consulat, ac me ulterius a-
mare ac iuuare pergat summopere peto. Vale vir
Amplissime. Datum Helmst. Anno à Christipara
virginis partu 1590. Non. Sept.

Additissimus obseruantissimusq;
Gabinus Syluius.



THESES I.



Orpus hominis Anima rationali donatum tripli-
cem compositionis modum admittit, primum si-
milarium partium ex Elementis fluentium, se-
cundum membrorum è partibus sensus iudicio
simplicibus pendentium, tertium uniuersi cor-
poris è membris συνθεσι.

II.

Sic enim humanum corpus συνθετικῶς, formatum actionum
humanarum mirandum fit organum.

III.

In hac quippe ἁλομελιῳ quam mirificè partes coniunctæ sunt,
consentiunt & compatiuntur.

IIII.

Quam mirificè verò coniunctæ & combinatæ sint partes, re-
ctissimè docet Ἀνατομῆ: quam benè consentiant id est, in famula-
tum operationum conspirent præter illam hoc tempore breuiter su-
mus monstraturi: quomodo compatiantur id est condoleant aliàs
dicturi.

V.

Hæc ipsa verò partium continuatio ac consensus cum ex In-
strumentorum connexu prodit tum inprimis è facultatibus ipsis
patescit.

VI.

Est verò instrumentum pars corporis quæ perfectam actionem
edit.

VII.

Hoc duplex est: primum aut à primo ortum.

VIII.

Primum est quod è partibus similaribus cœuntibus actionis
vnius gratia conflatum est.

Sic

IX.

Sic vena sanguinem corporis partes enutriturum una cum naturali spiritu insigniter caliginoso defert: Sic Arteria vitalem spiritum, calidum impetuq; ruentem sanguinem per uniuersum corpus diffundit: Sic Nerus Animalem spiritum à Cerebro ad corporis partes deducit: Sic Musculus voluntarij motus author existit.

X.

Instrumentum à primo ortum est quod ex instrumentis primis constructum plures actiones producit: Talis manus, talis pes est.

XI.

Instrumentum à primo ortum vel secundum est vel tertium, vel ita deinceps.

XII.

Horum instrumentorum seu partium quedam sunt Principes, quedam minus principes.

XIII.

Partes Principes sunt in quibus ut precipuis sedibus precipua quedam virtus maximè dominatur ac viget.

XIIII.

Eiusmodi sunt Cerebrum, Cor, Epar, Testiculi,

XV.

Minus principes sunt quibus ut precipuis sedibus eiusmodi virtus non insidet.

XVI.

Minus principes vel sunt à principibus nata earumq; ministerio dicata, vel non sunt eiusmodi.

XVII.

À principibus nata earumq; ministerio dicata sunt, Nerui, Spinalis Medulla, Arteria, Vena, & Vasa spermatica.

XVIII.

Nerui & spinalis Medulla ministrant Cerebro, Arteria Cordi, Vena Epati, Vasa spermatica testiculis.

XVIII.

Quae nec ab aliis sunt nata, nec earum famulatu addictae a se ipsis gubernantur.

XX.

Haec vicissim sunt duplices: vel enim partium aliarum ministerio ferè sunt destitutae! vel eodem maxime praeditae.

XXI.

Prioris generis sunt: Os cartilago ligamentum, Membrana &c.

XXII.

Alterius generis sunt, ventriculus, lien, & reliquae: haec enim venis, nervis, arteriis ut plurimum eguere.

XXIII.

A corporis partibus ad actionum facultates seu causas deveniendum est.

XXIV.

Haec ipsae facultates ab Anima ceu primaria causa procedunt.

XXV.

Non enim est quod Galenicam Hellenicamq; illam, ab auctore toties deploratam, consecretur ignorantiam, Anima ipsius conditiones actionesq;, sacrarum literarum monumentis proditas, in dubio relinquentes, ac ad Cegeticam quandam dubitationem redeuntes.

XXVI.

Cum primis verò cum hac ipsa notitia assertioq; (Galeno libro de nat: fac. subst. teste) singulari sit futura ornamento.

XXVII.

Neg; hoc leuiter de ornatu tantum dictum intelligi velim, cum alias actionum quarundam ab omni profus elementorum temperie distinctarum ratio nulla dari queat.

XXVIII.

Anima haec praecipua actionum humanarum causa est: Corporis enim Forma est: per hanc verò facultates suam esse habent.

Vitar

XXIX.
Utitur verò eadem corporeis seu elementaribus ad actiones
obandas instrumentis, atq; eatenus tantum Forma corporis est.

XXX.
Neq; enim putandum est: Animam humano corpore conten-
tam, nullo corporeo instrumento usam, nullam proferre actionem:
contrarium quippe docent Intellectus & voluntas.

XXXI.
Quod verò Anima nullo corporeo instrumento utens agit, non
agit qua Forma corporis (Forma enim rei nil quicquam operatur,
sed principium operandi, rei, cuius est, existit.) sed qua substantia
aliqua à corpore separabilis ac incorruptibilis.

XXXII.
Vnde intelligitur eandem ipsam Immortalem esse, atq; corpo-
ris separatione eis tantum privari actionibus, quas per corpus ut
artifex obit.

XXXIII.
Verum hæc eo dicuntur sine ut intelligatur, quo corporis par-
tes meliorem temperiem, melioremq; compositionem sint sortitæ, eò
perfectius operari Anima facultates, & vice versa.

XXXIV.
Est ergò facultas vis seu potestas ab Anima ad functiones edē-
das profecta.

XXXV.
Hæc origine regionibus, officinis ac canalibus, distingui solet,
ut quælibet veluti suo fonte diffundatur, & sit triplex, Natura-
lis, Vitalis & Animalis.

XXXVI.
Naturalis est, quæ corporis procreandi, nutriendi ac augendi
vi prædita est.

XXXVII.
Hæc quamvis omnibus insita sit membris, maximè tamen, ac
primò

primò quidem in Epate, post in testibus conspicitur vigere.

XXXVIII.

Hanc Galenus in Principem & minus principem distinguit.

XXXIX.

Naturalem facultatem principem maioris distinctionis gratia fecit triplicem: Procreatricem, Nutricem, Auētricem.

XL.

Procreatrix facultas est quæ nouam substantiam producit.

XLI.

Nutrix est quæ alimentum affluens ipsi corporis substantiæ simile reddit.

XLII.

Auētrix est quæ corpus continuitate ac specie priori seruata in omnem partem extendit.

XLIII.

Has tum ipsarum inter se, tum aliarum desiderare ministerium Galenus tradit.

XLIIII.

Principi huic facultati subseruiunt minus principes.

XLV.

Minus Principes facultates sunt 4. 1. ἐλκτικὴ id est Attractrix. 2. κατεκτικὴ, id est retentrix. 3. ἀλλοιωτικὴ, id est alteratrix. 4. ἐκκριτικὴ, id est expultrix.

XLVI.

Attractrix est quæ quod sibi conueniens est prolecat & attrahit.

XLVII.

Retentrix est, quæ attractum eo usque retinet quo alteratrix id immutat.

XLVIII.

Alteratrix est quæ id quod retentum est immutat & perficit.

XLIX.

Expul.

Expultrix est quæ alteratione peracta ac retentrice cessante excernit.

L.

Facultas vitalis est quæ è corde veluti insiti caloris fonte per arterias vitam in omne corpus diffundit, reliquasq; facultates perficit, tuetur, & ad agendum impellit.

LI.

Huc refertur facultas Pulsatilis, quæ nil aliud est quam facultas vitalis corde ac arterijs insidens.

LII.

Facultas animalis est quæ è Cerebro spiritum animale ad sensus interiores exterioresq; perficiendos, & ad motum obeundū per nervos in uniuersam corporis Rempublicam deducit.

LIII.

Facultas animalis vel Hominis propria est, vel animantibus quodammodo communis.

LIV.

Hominis propria est Mens ac Intelligentia.

LV.

Hæc essentia est simplex, indiuidua ob omni Materia abstracta, res incorporeas, ac uniuersales rerum notiones ac formas cognoscens.

LVI.

Huic adiungitur voluntas non subiecto aut essentia, sed cogitatione dūtaxat ab intelligentia distans, nō utiq; simplex, sed libera, & quæ boni cuiusdam opinione per consultationem ducta, quod bonum & utile est elegit. Aliàs electio, ἡ ποσεισις id est consilij facultas appellatur.

LVII.

Communis quodammodo animantibus facultas est sentiens.

LVIII.

Hæc vel Interior est, vel exterior.

Interior

LIX.

Interior vel concipiens est vel conseruans.

LX.

Concipiens vel saltem discernit, vel plenius aestimat.

LXI.

Illa dicitur Imaginatrix: Hec Ratiocinatrix.

LXII.

Imaginatrix est qua imagines ab exteriori facultate sensifica
oblatae rectius distinguit.

LXIII.

Ratiocinatrix est qua rerum imagines sub censum & iudici-
um reuocans diligentius examinat & perpendit.

LXIIII.

Conseruans facultas est Memoratrix.

LXV.

Memoratrix facultas est, qua id quod a prioribus conceptum
ac aestimatum est, veluti commentario cuidam inscribit, idq; ipsum
istis cessantibus, in communem usum recolligit.

LXVI.

⁺ talis est facultas
tangendi, tactiles se exercet
apprehendens quā
litates. Exterior facultas vel in toto diffunditur corpore, ⁺ vel certis
Instrumentis.

LXVII.

Instrumenta haec vel Nobiliora sunt vel Ignobiliora.

LXVIII.

Nobilioribus Instrumentis inhaerescunt facultas videndi &
Audiendi.

LXIX.

Facultas videndi est, qua in oculis sita colores percipit.

LXX.

Facultas audiendi est qua in auribus sonos apprehendit.

LXXI.

Ignobilioribus instrumentis insidet facultas odorandi ac Gu-
standi. Facultas

LXXII.

Facultas odorandi est, quae in naso odores sentit.

LXXIII.

Facultas gustandi est quae in lingua sapes percipit.

LXXIIII.

Facultas mouens nullam à sentiente diuersam constituit, speciem: eadem enim vi ac virtute fit motus, quae sensus, maiori tamen. At plus aut minus non variat actionis speciem. Quare nec virtus diuersa est.

LXXV.

Hinc colligo: Si facultas animalis in membrum incidat firmum, & secundum compositionem benè ad id comparatum mouet: Sin minus, sentit tantummodo. Galeno 1. de causis. Symp. cap. 5. attestante.

LXXVI.

Haec de Instrumentis, ipsisque facultatibus sufficienter dicta sunt.

Ἀπορήματα.

I.

An facultas Naturalis in procreatricem, Nutricem, Auētricem ceu legitimas species legitime dirimi possit.

II.

An facultates Animales sentientes Interiores, Imaginatrix videlicet, Ratiocinatrix & Memoratrix, distinguantur locis?

III.

An sentiendi & mouendi vis per eosdem neruos eisdem spiritibus aut eadem illustratione deferatur?

F I N I S.

LXXII

Facultas odorandi est, que in naso edere sentit.

LXXIII

Facultas gustandi est, que in lingua saporis percipit.

LXXIII

Facultas motus nullius, sed in se habet suam virtutem.

Etiam in eo, ut ac virtute sit motus, que sensus, maior et

minor, et plus aut minus non est, actionis speciem. Quare

certum dicitur est.

LXXIV

Hinc colligitur: si facultas animalis in membris inest, et

in eis, secundum compositionem, id est, in corpore, sunt membra

similia, sicut in anatomia Galeni, de crudi. Symp. cap. 2. et

LXXV

Hac de Institutione, ipsa facultas sufficienter dicitur

esse.

Quare, si in membris inest, et in eis, in membris inest.

An facultas Naturalis in procreantibus

Naturalium, Augustinum cum legitimis speciebus

gignere divini possit.

Quare, si in membris inest, et in eis, in membris inest.

An facultas Animalis sentientes Intra-

tes, Imaginatio videlicet, Ratiocinatio &

Memoria, distinguantur locis.

Quare, si in membris inest, et in eis, in membris inest.

An sentendi & movendi vis per eodem

nervos eisdem spiritibus aut eadem illata

one detur?

F I N I S



78L 1823

ULB Halle

3

004 592 395



5b.





an. 4

DISPUTATIO VI.

DE PARTIBVS

HOMINIS INSTRUMENTIS DIC-
TIS, EIVSQUE FACULTATIBVS QVAE

an. 4
in Illustri Academia Iulia in-
stituetur Non: Sept.

Præside

IOANNE VVERNERO

Medicina D.

Respondente

GABINIO SYLVIO Frisio Oc-
cidental.



HELMAESTADII

Excudebat Iacobus Lucius: Anno

M. D. XC.

AK

